

debitor non sit solvendo, *Matth. 18, 25.* certum autem sit, commoraturum ipsum in carcere, donec solverit, nihil certius est, quàm debitorem istum nunquam liberatum iri. 23. Textus hic ad æternam damnationem spectat. *Svaretz in Tom. 4. disp. 45.* 24. Si Sancti, cum defecerimus, in æternum tabernaculum nos recipiunt, utiqve non descendimus prius in purgatorium. 25. Latro in ipsum Paradisum receptus est, *Luc. 23, 33.* 26. Num Christus, omnis peccati expers, etiam in purgatorio peccati pœnas solvit? 27. Per *inferos* intelliguntur Dæmones ipsi. 28. Per *illos, qui sub terra*, intelliguntur sepulti in tumulis. 29. Dictum Christi est legale, ac perinde de gravitate peccati nos admonere vult. 30. Dives fuit *ἐν τῷ ᾅδην, καὶ ἐν τοῖς βασίνοις*, h. e. in ipso inferno. 31. Jubet Apostolus, ut egestatem Sanctorum adhuc viventium nostra munificentia sublevemus. 32. Loquitur de sanctis adhuc viventibus. 33. Peccatorum reliquias mors temporalis absorbet, *Rom. 6, 7.* Quæ prætereà disputat Bellarminus: *Quibus subeundum Purgatorium? Ubi sit Purgatorium? Quamdiu animæ in illo commorentur? Quanta sit illius pœna? Quibus modis animæ liberentur ex illo?* Sunt gerris Siculis vaniora. Purgatorium esse figmentum, ostendimus. De illis ergò, quæ proponit Cardinalis, non sumus solliciti.

IN LOCO
DE MONACHIS, EREMITIS
ET JESUITIS.
QVÆSTIONES.

1. *Unue dicantur Monachi?*

Aliud est nominis allusio, aliud vera notatio: allusiones vide apud *D. Finckium* disp. 1. de Mon. Canonistæ ridiculas & falsas produnt derivationes. Volunt dictos Monachos quasi *μόνος ἄλγος* Solus tristis, *Eusebius Papa* c. 8. q. 1. caus. 16. At impingit derivatio hæc in Grammaticam, quia *ἄλγος* non tristis, sed tristitiam significat, & moribus ac vivendi rationi Monachorum est contraria. Alii derivant à *μόνος* solus & *ἴκος* Custos. At nullibi *ἴκος* significat custodem, & non scribitur Monicus, sed Monachus. Alii dictos volunt à *μόνος* & *εὐχή*, quod in suis cellulis precibus vacent. At non scribimus Moneuchos,

Q9993

chos,